ARISTOTELES LATINUS. BOETHIUS
12. Jh. Seite 53v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



directis angulis tres interiores habere angulos. Hanc scientiam preter uim ut dictum est fortioris passionis amittat. Virtutes quoque in eorundem genere ponende sunt. Virtus enim nisi difficile mutabilis non est. Neque enim qui semel iuste iudicat iustus est. neque qui semel adulterium facit adulter. sed cum ista uoluntas et cogitatio permanserit. Aristotiles enim uirtutes non scientias ut socrates in ethicis suis sed habitus esse declarat. Quocirca constat esse habitus stabiliter permanentes difficillimeque mutabiles. Hoc tantum excepto ut non eas uis aliqua maior alicuius permutationis impellat et destruat. Affectionis uero species sunt ut calefactio atque perfrictio. et egritudo atque sanitas. cum ad eas quodammodo sit homo dispositus atque affectus non tamen immutabiliter aut caloris qualitatem habeat aut frigoris. sicut nec perpetuo sanitatis aut perpetuo egritudinis. Quin etiam si quae sunt quae per longi temporis egritudinem corporibus immutabiliter indurantur ut ea iam in naturam quodammodo corporis cuiusque transierint. ut si quis percussus cicatricem faciat insanabilem. illi ex dispositione et affectione quidam factus est habitus. Quocirca recte dictum est dispositiones inueteratas habitus facere. Nam cum quelibet dispositio permanens et difficile mobilis facta sit. illa iam non dispositio aut affectio sed habitus uocanda est.

Manifestum est autem quoniam hec uolunt habitus nominari quae sunt diuturniora et difficile mobilia. Namque in disciplinis non multum retinentes sed facile mobiles dicunt habitum non habere quamuis sint ad disciplinam peius melius ue dispositi. Quare differt habitus dispositione quod hoc quidem facile mobile est. illud uero diuturnius et difficile mobile. Habitus esse qualitates difficile mobiles et diuturnissime permanentes hoc argumento confirmat quod eos quibus quelibet scientia traditur si ab eis non fortiter addiscatur eius rei quam discunt habitum retinere non dicunt. Qui enim litteras discens nondum soluto cursu sermonis sed syllabatim quodammodo atque intercise per imperitiam legerit eum quidem dispositum atque affectum esse dicimus ad scientiam litterarum. non tamen adhuc ullum habitum retinere. Quare idem quoque est in aliis rebus. Omnis enim quicumque ad aliquam rem dispositi eius